

9+10/84

KALENDIS NOVEMBRIBUS

MCMLXXXIV

VARIVS  
ROR VARIVS I  
VMOR VARIVS F  
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS  
ROR VARIVS  
RIVS

TOMUS 7

FASC.49

# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA  
TVRICENSI in aedibus AKADis  
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos  
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	öS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,  
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Udalricus Aeschlimann  
Martinus Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum  
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt  
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-  
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem  
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	öS 130.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Ulrich Aeschlimann  
Martin Meier  
Dr. W.F. Ebel (Amicus)  
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach  
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein  
Zürich Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

# PRÆFATIO

Cari legentes

Priore libello - in fasciculi 7+8/84 praefatione - vobis  
promisi me narrationem novam de itinere in Italiam facto  
scripturum esse. Quam narrationem nuper scriptam perfeci;  
eam huic praefationi additam invenietis titulo "De feriis  
quintum in Italia peractis" denotatam. Domina Christina  
Portner autem quae impressum et dispositionem rerum vobis  
publicandarum semper maximo studio summaque diligentia  
curat, praeter illam narrationem multas varias symbolas hoc  
fasciculo comportavit. Quae symbolae Rumori Vario, ut vobis  
Latinitatem amantibus legendae proponantur, ab auctoribus  
libello nostro semper fidem praestantibus missae sunt. Sint  
vobis omnia, quae in paginis subsequentibus proposita  
videbitis, maximo gaudio!



Valete!

Udalricus Aeschlimann

De causa, ex qua hic fasciculus 9+10/84 tantum Kalendis  
Novembribus editus est

Quam ob rem rogamus, ne irascamini, cari legentes! Amica  
enim nostra Christina Portner, quae impressum et disposi-  
tionem rerum Rumore Vario divulgandarum curat, tantis  
laboribus sibi et scholae nostrae necessariis premebatur,  
ut editionem huius fasciculi prius curare non valeret.  
Ergo iterum rogamus: Ignoscatis, quod hunc libellum sero  
tantum accipitis! Gratias vobis agimus!

RVMOR VARIVS  
Domus editoria

# Habemus novam feliculam!

Cari legentes,

anno ineunte vobis Rumore Vario 1+2/84 nuntiaveram felem nostrum maxime amatum, cui nomen "Pfuri" fuerat, die a.d. VIII Idus Ianuarias duos annos natum mortem obiisse morbo atroci affectum.

Postquam hic nuntius tristissimus libello nostro divulgatus est, magna pars legentium mihi per litteras scripserunt se una mecum, cum uxore liberisque meis felem mortuum maerere. Quae consolationes a tantis amicis expressae mihi meisque solacio vero erant; omnibus, qui nobis misericordiam suam litteris expresserunt, una cum familiaribus



meis maximas gratias agere velim tabulam photographicam demonstrans novae feliculae nostrae, quae - mense Maio MCMLXXXIV nata - nunc membrum familiae est.

Nomen autem feli, quam hic filia filioque circumdatam videtis, pulchrum est: Eam enim "Bijou" appellamus, quod Francogallice idem ac "Ornamentum" vel "Res pretiosissima" significat. Sit ei vita longior, beatior, faustior! Valete!

Udalricus Aeschlimann

# Graecorum philosophorum sententiae

Interrogatus, quid omnibus hominibus commune esset, "Spes", ait Thales; "Hanc enim illi quoque habent, qui nihil amplius habent."

Exsultanti cuidam, quod multum bibens non inebriaretur (1), Aristippus respondit: "Hoc etiam mulus (2) potest."

Socrates dicebat ludibrium comicorum (3) nullo modo timendum esse: Nam si res dixerint, quae nobis corrigendae sint, nos emendabunt, sin alia, nihil ad nos pertinet.

Solon cum aliquando inter convivas sileret, a Periandro, Corinthorum tyranno, interrogatus est, cur solus taceret. "Tacesne", inquit tyrannus, "quod verba tibi desunt, an stultitiam tuam silendo occultare studes?" Tum Solon: "Si stultus essem, non tacerem."

Interrogatus, quid sibi philosophiae studium profuisset, Aristippus "Ut omnibus hominibus" ait "fidenter uti (4) possim."

Cum Plato philosophus sic hominem definivisset: "Homo est animal bipes sine pennis", omnibus Platonis discipulis definitioni applaudantibus Diogenes gallum pennis (5) ac plumis (6) nudatum produxit in scholam et dixit: "Ecce homo Platonis!"

Aristotetels dixisse fertur alios homines ita parcos esse velut si semper victuri essent, alios tam prodigos velut si continuo morituri.

\* \* \* \* \*

Cum unicus servus Diogenis aufugisset, omnes suadebant, ut eum quaereret. "Non faciam", ait Diogenes, "ridiculum enim esset, cum ille sine me vivere posset, ego sine illo vivere non possem."

Alexander Magnus Diogenem ante dolium apricantem (7) et quietem capientem visitavit rogavitque, ut diceret, si quid sibi opus esset. Ille respondit: "Mihi, quaeso, a sole recedas!"

Rogatus a quodam, qua parte filius melior foret, si erudiretur, Aristippus respondit: "Etsi nulla in alia re, certe in theatro non sedebit rudis (8) velut lapis super lapidem."

Ornatus pretiosissima veste Croesus, rex Lydiae, in solio (9) sedebat et Solonem, illum sapientem Atheniensem, interrogavit, num quid pulchrius umquam vidisset. "Gallos", inquit ille, "et phasanos (10) et pavones (11). Naturali enim nec imitabili colore et pulchritudine fulgent."

Ligneum poculum, quo aquam hauriret, Diogenes ubique secum ferre solebat. Sed cum aliquando puerum manibus aquam haurientem videret, poculum abiicit dicens: "Quid mihi poculo opus est, cum manus idem officium mihi praebent?"

Interrogatus, quomodo fieri posset, ut homines quam minime iniurias committerent, Solon respondit: "Si iniuriam, quae aliis infertur, tamquam sibi ipsis illatam sentiant."

\* \* \* \* \*

Nequissimus quidam cum aedibus suis inscripsisset: Nihil ingrediatur mali, Diogenes: "Quomodo", ait, "dominus ipse domum ingrediatur?"

Epictetus philosophus dixit: "Navis non ad unam solam ancoram (12) et vita non ad unam solam spem alliganda est."

\* \* \* \* \*

Grandior aetate Socrates fidibus canere (13) didicit dicens minime absurdum esse in omni aetate nondum nota addiscere.

Antisthenes cum vituperaretur, quod cum malis hominibus versaretur, respondit: "Medici quoque cum aegrotis versantur neque feбри inficiuntur."

Bias cum ab homine impio interrogatus esset, quid sit pietas, tacebat. Illo rogante, cur taceret, respondit: "Taceo, quia de rebus rogas, quae nihil ad te pertinent."

Interrogatus, quod lucrum e philosophia tulisset, Antisthenes respondit: "Me ipso familiariter uti (4) posse."

\* \* \* \* \*

Optimam et iustissimam vitam agi dixit Thales, si ea, quae in aliis vituperamus, ipsi quoque non facimus.

Luctatori inertis, qui medicum esse professus erat, Diogenes dixit: "Velisne nunc eos, qui prius te vicerunt, tali modo prosternere?"

Glorianti cuidam, quod magnae urbis esset civis, Aristoteles dixit: "Non hoc est considerandum, sed si quis illustri patriae dignus sit."

Anaximander philosophus, cum cantare conaretur, a pueris irrisus dixit: "Gratias vobis ago, pueri, nam me docuistis melius mihi cantandum esse."

- |                     |                             |
|---------------------|-----------------------------|
| (1) inebriari       | betrunken werden            |
| (2) mulus           | Maultier                    |
| (3) comicus, -i     | Komödiendichter             |
| (4) uti + Abl.      | verkehren, umgehen mit jdm. |
| (5) penna           | Feder                       |
| (6) pluma           | Flaumfeder                  |
| (7) apricari        | sich sonnen                 |
| (8) rudis, -e       | ungebildet, unwissend       |
| (9) solium, -i      | Thron                       |
| (10) phasianus, -i  | Fasan                       |
| (11) pavo, -onis    | Pfau                        |
| (12) ancora         | Anker                       |
| (13) fidibus canere | Leier spielen               |

Daniel Weissmann

DE FERIIS IN ITALIA PERACTIS SEU DE DIFFICULTATIBUS SE  
TEODISCE EXPRIMENDI

Brevis praenuntius auctoris:

Fortasse aliqui legentes e narratione, quam nunc incipiam, parvum tantum fructum capient. Continet enim nonnullas sententias Teodisce expressas, quarum notio legentibus linguae Teodiscae haud peritis non facile evideat. Tamen spero eam quam plurimis legentibus gaudio esse; reliquos rogo, ne irascantur!

Quicumque Italiam bene noverit, opinioni meae consentiet: Otio ac feriis in Italia frui semper res maxime iucunda est; non modo propter litora amoenissima, sed etiam propter solem semper lucentem. Ad has delicias mihi hac aestate, dum ferias cum uxore liberisque in Italia dego, experientiae novae, facetissimae, lepidissimae acciderunt. Quae constabant e legendo nuntios illos Teodisce scriptos, quibus et magistratus municipales et curatores deversorii (1) advenis Teodisce loquentibus - Helveticis, Germanicis, Austriacis - res ad vitam feriam in Italia suavissime degendam utilissimas divulgabant. Quid enim e nobis viatoribus Helveticis, Germanicis, Austriacis ampliores risus, maiorem hilaritatem evocare potuisset quam ii nuntii, qui aut megaphoniis (2) passim per litus positus aut litteris impressis in parietibus deversoriorum vel hospitiorum vel aedificiorum publicorum affixi publicabantur? Aliqua exempla demonstrant ea, quae dicere velim:

Hospes - sive sit civis Helveticus, civis Foederatarum Civitatum Germaniae (3), civis Austriae - in Italia versans facile recognoscit cibos potionesque sibi solitos, si in indicibus ciborum (4) verbis patriis simillimae declarantur "Bratwurstel", "Wiener Snizzel", "Deutsche Filter Kaffee" etc. nominatae. Talibus nominibus vero - licet contineant aliqua menda - nihil curandum est, ut ullus advena linguae Italicae imperitus, dum feriae maneant, fame vel siti crucietur!

Hospiti autem praeter linguam Teodiscam nullius linguae perito multo difficilior est parere legibus domesticis, quae in parietibus omnis deversorii affixae mores ab hostibus observandos docent. Quamquam verba "In den Ruhestunden ist jedem die Stille erwünscht" cuique memoriae - etiamsi horae silentii observandi ipsae non indicantur - perfacile tradantur, tum denique legenti vera problemata exoriuntur, ubi eadem leges domesticae de rebus domo inflammata curandis sub titulo "Verhaltensmassnahmen beim Brennen des Gebäudes" agunt: In deversorio, quod hoc anno habitabamus, verba tali casui providentia sic legentibus: "Bei Feststellen von Rauch, Brand oder Feuer sofort das Bedienungspersonal anmelden.". Tales leges profecto hospitibus periculosae! Quid porro dicam de verbis, quibus in deversorio nostro declaratum erat, quomodo anabathro (5) utendum esset? Prope portam anabathri parva tabula ferrea fixa erat, in qua haec verba legebantur: "Die Benutzung des Hotelliftes ist Kindern, die unter 12 Jahre alt sind, verboten, wenn nicht mit Eltern begleitet, erlaubt." Certo non mirabimini, cari legentes, cum confiteor nos illud anabathrum numquam tetigisse; eo minus, quod in porta eius cetera verba imperantia (melius dicam: minantia) legebantur sic: "Lieben an der äusseren Türe nur, wenn innere Türe auf ist!" Talibus ordinibus pertubati et uxor et liberi et ego cameras nostras numquam quaesivimus nisi per scalam (6) pedibus superandam.


Quid autem difficultates se lingua Teodisca recte accurateque exprimendi melius illustrare possit quam illa tabula, quae nos campum celebrem lusorium (7) apud municipium nomine "Rimini" situm visitantes his verbis salutavit: "Das Eintrittsbetrag wird nach eintreten auf dem Areal nicht zuruckbezacht?"

His experienciis factis merito interrogatur: Cur nos adulti semper miramur deplorabamusque quod liberi nostri se lingua sua Teodisca nostris diebus exprimere non iam valent? Quomodo valeant, cum nos adulti - non modo hospites Italici! - ipsi non iam valemus? Valet!

(1) curator deversorii                      Hoteldirektor  
(2) megaphonium, -i, n.                      Lautsprecher

- |                                       |                 |
|---------------------------------------|-----------------|
| (3) Foederatae Civitates<br>Germaniae | Bundesrepublik  |
| (4) index ciborum                     | Speisekarte     |
| (5) anabathrum                        | Lift, Fahrstuhl |
| (6) scala, -ae, f.                    | Treppe          |
| (7) campus lusorius                   | Spielplatz      |

Udalricus Aeschlimann



## Facete lepideque dicta

### Haereticus bona indole praeditus

Ante consilium decem vir(or)um Venetiae in oppido reus in ius vocatus et de sententiis haereticis erat anquisitus. Concessit autem reus se de Deo Patre deque Filio unigenito dogmata cogitatione comprehendere menteque capere, sed dogmata de Spiritu Sancto animo complecti omnino non posse. Reus non est condemnatus. Iudices autem fori tribunalisque Venetici argumentis firmaverunt arbitrium verbis his: "Ille profecto reus certe comprehendit dogmata duo, nosmetipsi at contra (at in contrario) ne unum quidem intellegimus!"

\* \* \* \* \*

### In ferrivia subterranea seu inferna Berolinensi

In ferrivia subterranea seu inferna seu subterferrivia Berolinensi vir quidam maledice: "Tonitrua fulminaque," inquit "potesne animum attendere? Si perpetuo in pede meo insistere perseverabis, biduum ne ambulare quidem potero! Potesne alio insistere, asine tute?" Tum alter: "Certe vero" inquit "id facile facere possem, sed tum triduum omnino non posses sedere, simie tute!"

### Iam nimis illustris

Animo fracto demissoque mulier quaedam artifex seu actrix scaenica medico psychiatro lamentatur verbis his: "Ingenio non valeo, indole bona praedita non sum, partes agere personasque in theatro sustinere non iam possum, nescio saltare. In mente, medice mi, habeo, in animo mihi est ad extremum facere, ad finem adducere officium actricis scaenicae et desinere partes agere!" - Tum medicus psychiatra: "Et quare id interim non iam fecisti?" - Tum actrix scaenica voce demissa: "Id revera," inquit, "facere omnino non possum, nam sum iam nimis illustris!"

\* \* \* \* \*

### Facillime explicatu

Conradus autem Duden(ius), 1828-1911, auctor ille editorque celeberrimus Germanus, indicis seu lexicis conditor scriptorque seu lexicographus linguae Germanicae seu Theodiscae, a matrona quadam interrogatus, quomodo lexicon tanti modi generisque amplissimum condidisset confecissetque: "Id facillime," inquit, "Tibi interpretari possum, nam est pariter ac si cum uxore altercationem haberes: verbum sequitur verbum!"

\* \* \* \* \*

### Opinio sapientis

Bernhardus autem Boviarius de Fontanella (Bernard le Bouvier de Fontelle), 1657-1757, auctor Francogallus summis ingenii facultatibus praeditus ornatusque operis cui titulus "Novi dialogi mortuorum", nepos Petri (1606-1684), Thomaeque (1625-1709) Corneliorum (Pierre et Thomas Cornaille), iam senex centum annorum de sensibus moriendi moriens id dixisse fertur: "Non morior, difficultatem solum quandam porro vivere posse sentio!"

Idem Bernhardus Boviarius de Fontanella insuper de arte moriendi id dixisse fertur: "Egometipse autem memetipso contentum esse scio, sed si necesse opusque fuerit, si res id postulaverit, at quin etiam sine me vivere scirem!"

### Contionator sacerdos seu orator sacer

Udalricus Megerle(us), qui et Abraham a Sancta Clara dicitur, 1644-1709, monachus Ordinis Fratrum Eremitarum Discalceatorum(OFED), praedicator verbi divini ille longe omnium ingenio praeditissimus, Vindobonae in urbe Austriae ex cathedra (e suggestu sacro) contra morem pravum pallarum profundissime exsectarum (decollatarum) "tonavit" verbis his: "Mulieres, quae tantopere se nudant, non sunt dignae, ut conspuantur!"

Imperatrix autem Margareta Theresia, uxor imperatoris Leopoldi I<sup>i</sup>, 1640-1705, quae ipsa se tradidit illi mori pravo, oratori dicere iussit responsum verbis his: "Officium Tibi abrogabo oratoris sacri aulae imperialis Austriae, si sententias tuas de mulieribus sine ulla mora interposita non revoces dictaque tua non retractes!" Tum sollemniter Abraham a Sancta Clara revocavit simulate verbis his: "Sunt dignae, sunt dignae!"

\* \* \* \* \*

### Verba praesidis magni

Achilles autem III de Harlaeo, comes de Bello Monte, senior de Grosso Bosco (Achille III de Harlay, comte de Beaumont, seigneur de Grosbois), 1639-1712, praeses ille illustris sagaxque legatorum popularium coetus seu parlamenti Parisiensis, occasione consessus parlamenti data contionem semper verbis his exordiri solebat:

"Si viri illustres, qui hoc loco dormire in animo habent, non magis strepitarent quam viri illustres, qui hic inter se colloqui propositum habent, id re et veritate paucis his viris illustribus, qui attente aures mihi praebere (in) mente agitant, maximopere placeret!"

\* \* \* \* \*

### Insolentia tandem vicit

Catharina autem Gabrielli (filia), 1730-1796, cantrix illa omnibus nota Itala, ab imperatrice Russ(ica) Catharina II<sup>a</sup>, nata Sophia Friderica Augusta, 1729-1796, quinque milia

solidorum aureorum (5000 Goldrubel) pro duobus solum spectaculis vocalibus (Gesangsdarbietungen) Petriburgo in oppido Russiae praebendis audacter poposcit. Imperatrix "Tantam", inquit, "pecuniam ne ducibus generalibus copiarum Russicarum mearum quidem solvo aut numero!" - Tum prompte cantrix bono animo: "Nihil ad me", inquit, "attinet. Quae namque cum ita sint res, maiestas tua duces generales copiarum Russicarum cantare iubere possis!" Imperatrix indignabunda tum demum pecuniam magnam a cantrice (ex)petitam invito animo tandem persolvit.

\* \* \* \* \*

### De gustibus (non) est disputandum

Leo autem de Madalliano de Sparra comes (et postea marquio) de Lascaeo (Léon de Madaillan de Lesparre comte (marquis) de Lassey), 1681-1750, dux generalis copiarum Francogallicarum, vir attamen vere placidus, qui penitus quidem societatem humanam cognovit, de suo sensu iudicavit: "Me impransum omni die iam prima luce bufonem lubricum devorare oportet, ut ne reliquam diei partem, quam in hoc mundo inter homines consumere sum coactus, detestandam esse putem!"

\* \* \* \* \*

### Neque spiritum neque virginem (inveniri potuit)

Ab auctoritatibus Confoederationis Helveticae annis 1757<sup>o</sup> et 1758<sup>o</sup> venditio libri Claudii Hadriani Helvetii (Claude Adrien Helvétius), 1715-1771, cui titulus "De spiritu" (De l'esprit) atque libri Francisci Mariae Aruetii Voltarii (François Marie Arouet Voltarie), 1694-1778, cui titulus "Virgo" (La Pucelle, Pullicella) vetita seu prohibita erat. Inquisitionibus permultis consulte peractis magistratus urbis Bernae senatui Confoederationis Helveticae per litteras significaverunt semetipsos neque spiritum neque virginem alicubi in pago Bernensi invenisse.

AMICUS

# Aenigma

1. dea Aegyptiorum
2. loco
3. dies fasti Romani
4. pronomen personale

Hoc aenigma composuit

Daniel Weissmann

<sup>1</sup>	<sup>2</sup>	<sup>3</sup>	<sup>4</sup>
<sup>2</sup>			
<sup>3</sup>			
<sup>4</sup>			



## SOLUTIONES

autem ex aenigmate  
im RVMORE VARIO  
7+8/84 divulgato  
sunt haec:



<sup>1</sup> E	<sup>2</sup> V	<sup>3</sup> A	<sup>4</sup> M
<sup>2</sup> V	A	L	E
<sup>3</sup> A	L	E	A
<sup>4</sup> M	E	A	M

## SANE CAPILLATA, SED CUM EXCEPTIONE

(Fabula brevis)

Senex Andreas iuniori Carolo occurrit.

Quomodo te habes?, primus salutatur Carolus.

Cui Andreas: Optima valetudine fruor.

Carolus: Quindecim exacti sunt anni a quo tempore postremum nos vidimus.

Andreas: Profecto familiam habes, nempe cum uxore liberisque prosperrime vivis.

Carolus: Minime quidem, carissime, Caelebs sum.

Andreas: Caelebs? Avolant anni et te existimo tristes quadraginta transiisse.

Carolus: Tristes! Ubi primum quadraginta annorum limen exsuperamus, quot incipiunt dolores!

Andreas: Cur tandem honestam decoramque virginem in matrimonium tibi non iungis? Pessima est solitudo.

Carolus: Puellam, cui sint dotes a me exquisitae, nusquam, eheu!, reperi.

Andreas: Nusquam? Duo miliarda feminarum in terrarum orbe exstant. Difficilene invenire quod optas? Sunt profecto perrarae dotes quas adipisci in sponsa conaris.

Carolus: Equidem una... una... est dos. Ab infantia cupivi uxorem ducere quam saltem unum capillorum metrum ornaret. Numquam contigit ut ipsam invenirem.

Andreas: Metrum capillorum? Dos magis unica quam rara. Sed facillimum contra est remedium. Induat quaelibet defluum caliendrum aut in tonstrinis sectos cirros humi iacentes colligito, conglutinato, extendito et chiliometricam habebis caesariem.

Carolus: Sint veri crines. Hos quot virginibus traxi!....



Andreas: Itane?

Carolus: Totidem deciderunt ficticia capillamenta. Cognoscisne quandam feminam mihi aptam?

Andreas: Thesaurum possideo.

Carolus: Ubi? Illuc curram.

Andreas: Compesce cupiditatem tuam. Huic mulieri ipse metrum et decem centimetra capillorum mensus. Sed timeo ne cetera dicam.

Carolus: Inveni, inveni. Intra paucos dies in altaribus me illamque videbis.

Andreas: Tene, quaeso, nimios ardores. Illa... illa... quinquagesimum sextum agit annum!

Carolus: O me infelicem! Non iam fertilis est aetas nec capillis filii pariuntur, sed gremio.


Andreas: Vidua quoque, at ditissima. Unica autem filia tibi solacionem offeret.

Carolus: Consilium tuum maxime me illicit.

Andreas: Haec virgo, pulcherrima, omnino - per sortis ludibrium - .... calva est.

Carolus: Nihil interest. Sic, dum dextra fluentem matris caesariem mulcebo, simul laeva beatissime carnem venustissimae tractabo filiae. Ad illas curro, felicissimus hominum factus.

Florindo Di Monaco



## Vesper Senerculensis

Désinunt sensim renitère mōntes  
Flóridae et vallés pereūnte sóle;  
Vésper ádsurgéns modo cūncta vélat  
Aéthere ab álto.

En frui exoptans meritá quiéte  
Anxiús pastór querulás capéllas  
Cóllebús nupér placidé vagāntes  
Fért ad ovíle.

Membra pérlassí nimíó labóre  
Désérunt campós viridés colóni;  
Cónticént fabri et precibús resúltat  
Cáelica sédes.

Quánta dulcedó magicó lepóre  
Illico irrepit casulás et áuram!  
Quánta récludit mihi sáncta vicus  
Límite lúcis!

Úrbis híc tandém procul á venénis  
Vértice et lató strepitús doléntis,  
Híc potést vitáe renováre amórem  
Cór tremefáctum.

Laurentius Viscido

# *Quis autem nostris temporibus.....*

## EPISTULA IUVENUM SLOVACORUM

### Praefatio ad legentes

Multis in terris nostro quoque saeculo vicesimo p.Chr.n. multos Christianos aliive religioni deditos simili vel graviore modo quam Neronis, Decii Diocletianique temporibus cruciari, vexari omnique contributioni destitui parum notum est. Cum plerique nostrum, quibus libertas credendi data est, religionem minimi aestimantes luxuriam divitiasque magis quam Deum colant atque superbo quodam animo homines omnipotentes esse reatur, persecutionem fidei intellegere neque volunt neque possunt. Nihilominus imprimis regimina civitatum marxisticarum omnem religionem omnino tollendam esse censentia severissime atque crudelissime agunt contra eos, qui Deo magis quam hominibus oboedientes suam secundum fidem vitam degere conantur. Cuius facti testimonio vobis sit epistula, quam nonnulli iuvenes oppidum Nitram in Slovacia situm inhabitantes praesidenti rei publicae Bohemoslovacicae, Gustavo Husak, nuper miserunt. Huius epistulae partes aliquas in linguam Latinam verti.



## EPISTULA

"Domine praesidens venerabilis!"

Maxima cum indignatione observamus, quaecumque acta sunt annis praeteritis in patria nostra. (...)

Domine praesidens venerabilis, Tu es iuris consultus. Quo modo ergo fiat, ut iura humana in nostra re publica pedibus obtereri sinas? Quo modo pacta internationalia, velut chartam

Nationum Unitarum vel conclusionem Helsinciae in urbe factam proculcari patiaris? Leges, quae pertinent ad constitutionem Rei publicae Socialisticae Bohemoslovacicae, quaeque Te providente, quantum iura humana atque libertatem credendi tutentur, negleguntur et reapse pedibus obteruntur, bene novisti, multique iam homines de ea re Te certiore faciebant. Iterum nos iuvenes Rei publicae Socialisticae Bohemoslovacicae, petimus, ut has leges respicias, quas recitari certe non oportebit.

Confiteris Te marxismo-leninismo esse deditum. Permite nobis, ut nonnullos locos scripti cuiusdam a Lenino de socialismo et religione agentis compositi recitemus: "Civitas ne immisceatur rebus ad religionem pertinentibus, instituta religiosa ne sint coniuncta potestati publicae. Unicuique tota sit libertas confitendae alicuius religionis aut confessione religiosa plane carendi, i.e. atheismum colendi, ut solet socialista bonus. Nihil ergo intersit inter cives diversas religiones colentes." ("Vita nova", numerus 28, die 3. mensis Decembris anni 1905. compositum) (...)

Quis persecutionem fidelium apud nos fieri iubet, cum talis modi res contradicat pactis internationalibus et legibus nostris et moribus gentium culturarum?

Quis fideles apud nos minoris generis esse atque secundi vel tertii ordinis cives spectari et tractari iubet, cum discriminatio et pactis internationalibus et legibus nostris severe vetetur?

Dolentes fatemur haec inde a schola, immo a natu hominum usque ad sepulcrum fieri. Num necesse et singula crimina nominari? Tu ipse, domine praesidens, eis subisti in "institutis ameliorificis", ut dicuntur (Gustavus Husak ipse annis 1951-1960, incarceratus erat). (...)

Cur factionis communisticae summus vir atque rei publicae tacendo veritatem supersedes? Cur in mendacia fugis? In Austria Tu credendi libertatem praedicasti esse apud nos, ad eodem tempore tota in civitate nostra iuvenes fideles investigatione quaesiti sunt et retenti! Credendi esse libertate declarata simulac fideles e professione dimittun-

tur ac psychice neque raro et physice vexantur. (...)

Nos iuvenes Rei publicae Socialisticae Bohemoslovacicae Te poscimus, ut tales legis confractiones finiantur! Postulamus a Te, ut apud nos quoque pacta internationalia, quae Tu manu propria subscripsisti, serventur. Flagitamus, ut leges constitutionales civitatis nostrae, quibus omnis discriminatio - ergo et religiosa! - vetatur, observentur. Petimus a Tete, ut fidelibus eadem iura tribuantur quae membris factionis communisticae. Vectigalia et fideles solvunt, aerarium publicum maxima ex parte a fidelibus impletur. Attamen eis non est typographeum. Quam ob rem aditus ad seminaria sacerdotalia plerisque candidatorum recluditur, quamvis numerus sacerdotum nostrorum nimis parvus sit?

Qua de causa Tu, qui es atheista, de sedibus episcopalibus occupandis decernere audes? Quo iure dato immisceris rebus pure ecclesiasticis? An non est immixtio nimis temeraria res intimas ecclesiasticas tangens? Estne papae episcopisve ulla auctoritas summi factionis regiminis eligendi? Num ecclesiae rebus factionem tangentibus immiscentur?

Hac quidem in re (in persecutione fidelium sc.) dominis episcopis vel saltem sacerdotibus aliquid suscipiendum est eo modo, quo dominus cardinalis agit. Nobis nunc iuvenibus laicis in tanti momenti re oratione data scias velimus, domine praesidens, nos voce nostra dominum cardinalem Tomasek adiuvare.

Im pridem animadvertimus plerosque regiminis et factionis collegas nos plane decepisse. Mentis et corporis facultates libello rubro factionis substituere in animo vobis est. Quid inde fit? Nil aliud nisi interitus moralis et oeconomicus totius societatis nostrae! Ea igitur e causa nos iuvenes Rei publicae Socialisticae Bohemoslovacicae petimus, quibus nos a pueritia privabatis, religionem et Deum! Veritates enim religionis tam sunt pulchrae, tam logicae tamque etiam scientiis modernissimis sublevatae, ut caeci modo sit eas in televisione, radiophonia actisque diurnis polluere.

Aurum manet aurum, etsi despuitur! Immo secundum leges Rei publicae Socialisticae Bohemoslovacicae non nefas tantum,

sed, ut mitibus utar verbis, omnino inhumanum quoque institutis a fidelibus sustentatis contra eos abuti eodemque temporis momento eorum sensus religiosos laedere. Quantopere ira exardescis, cum loqueris de dictaturis occidentalibus! Quas neque nos laudamus, sed in istis tamen plus est humanitatis quam in dictatura nostra proletaria, cuius incolis aperte loqui non licet. Oratores ubique diligenter eliguntur, ut nil aliud dicant nisi quod antea constitutum sit. Cur secretarius Nationum Unitarum Rem publicam Socialisticam Bohemoslovacicam visitans non cum operariis simplicibus convenire sinebatur nisi custoditus a vigilibus secretis? Cur nuntio Vaticani disputationibus proximis peractis sacerdotes papae fidos frequentare non licebat? Cur non fit colloquio statutum inter Rem publicam Socialisticam Bohemoslovacicam et Vaticanum, qui foedera tam sincere et tam fide servare solet?

Venerabilis domine praesidens, necesse est corrigas de ecclesia opinionem Tuam factam. Ea (ecclesia sc.) non est cupida omnia regendi, non collocat rochetas neque in mari neque in spatio interstellari, non proficit ardorem belli neque divisionem orbis terrarum nationumque, non concitat homines alios in alios, sed contra docet, ut omnes nostri sideris errantis incolae unam familiam formantes amore et caritate iuncti uni sint. Ecclesia postconciliaris est dialogi, oecumenismi, colloquii alterius in alium ecclesia.

Si ideologia materialistica se optimam neque superabilem esse putaverit, cur tam horribili metu correpta est, ne disputet cum ecclesia eiusque proceribus? Capita nostra multis huiusmodi quaestionibus completa sunt, sed nunc earum satis memoravimus. (...)

Nos iuvenes Tibi bonam valetudinem exoptamus ac Tibi precamur, ut lineas nostras intellegas auxiliumque feras.

Gratias Tibi agimus. Dabamus Nitrae die 19. mensis Martii anni 1984.

Cives iuvenes Rei publicae  
Socialisticae Bohemoslovacicae

# LAUS MARIAE

Virgo tota coronata  
omni laude, adorata,  
mater Tu sanctissima,  
cum peccatis sum suppressus  
sortem malam et perpressus,  
voco Te, piissima!

Deum nobis peperisti,  
Iesum nobis aluisti  
sponte Tua libera.  
Quam ob rem immaculata  
a peccatis es servata  
cuncta ante tempora.

Vita functa gloriosa  
ascendisti lacrimosa  
hac ex valle, filium  
redemptorem rogatura  
et pro nobis oratura,  
Dei in concilium.

Fac, Maria, virgo cara,  
ut sint nulla, saltem rara,  
quae commissa sunt a me  
scelera nec non peccata,  
ut caelestia per prata  
migraturus sim cum Te!

Martinus Meier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

---

---

---

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO  
DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mittenda  
est ad adressam infra  
stantem.  
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:)

---

---

---

---

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS  
c/o AKAD  
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

9+10/84

KALENDIS NOVEMBRIBUS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIUS



TOMUS 7

FASC.49